



Kriegsbuch

I

5

N<sup>o</sup> 30

Zur Bezeichnung der Königlich Preußischen  
Militärausgaben





24

DISPVVTATIO THEOLOGICA  
DE  
**RECTO ET GENVINO VSV**  
**ARGVMENTORVM FIDEM HV-**  
**MANAM FACIENTIVM IN PRO-**  
**BANDA DIVINA ORIGINE**  
**S. LITTERARVM.**

---

QVAM  
**PRAE SIDE**  
VIRO SVMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO,  
DOCTISSIMO  
**IOANNE GEORGIO KNAPP**  
THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. ORDIN.  
PATRONO SVO AC PRAECEPTORE  
PIE COLENDO,  
IN REGIA FRIDERICIANA  
D. I. OCTOB. MDCCCLVII.  
ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET  
AVCTOR  
**CAROLVS SAMVEL BAER**  
KERBELITZA-MAGDEBVRGICVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE  
LITTERIS HENDELIANIS.

DISTATATIO THEORETICA

DE

REGOT ET GENNIO 721  
ARGYRIDIUS GRANHEDM THA  
MANNA RACGINTUM IN FSO  
RANDA DUNA ORIGINE  
S. LIPSIENSIS

PARVISE

ALDO ZAMPIERI LIBRARIO, IMPRENTA STAMPING  
DOCUMENTA

JOANNÆ GEORGIO KNAPE  
TRACTATIONE DE TITULICITORE  
TATRONIO SVO DE TRACTATIONE  
IN REGIA TRINITATIANA  
D. OCTOBRI 1551.  
IMPRESSORVM EXEMPLARIS ESTAMPTA  
CAROLAS SAMVLT BUR  
DOLINUS  
HVLAE MAGDEBURGICAE  
FILIPPIÆ HENDELIANI

PERILLVSTRI  
GENEROSISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
IOANNI FRIDERICO  
AB  
ALVENSLEBEN,

POTENTISS MI MAGNAE BRITANNIAE REGIS,  
ET ELECTORIS BRVNSWICENS. ET LVNEBVRGENS.  
PRAEFECTVRARVM SVMMO PRAESIDI,  
DOMINO HAEREDITARIO IN NEVGATTERSLEBEN,  
HVNDISBVRG, ROGAETZ, GLOETHA, RELIQUA:  
NATALIVM SPLENDORE, MVNERVM DIGNITATE INCLITO,  
ET FAVORE IN REM LITTERARIAM MAXIME  
CONSPICVO

DOMINO SVO ET MAECENATI  
OMNI OBSERVANTIAE ET PIETATIS CVLTV  
NVNQVAM NON PROSEQVENDO;

HANC QVALEM CVNQVE DISSERTATIONEM,  
CEV PRIMITIAS ACADEMICAS  
IN ANIMI GRATISSIMI,  
ET OBSTRICTISSIMI TESSERAM,  
CVM  
SINCERIS PRO EXOPTATISSIMA SALVTE,  
ET INCOLVMITATE CVM IPSIVS,  
TVM TOTIVS  
PERILLVSTRIS  
**DOMVS AB ALVENSLEBEN**  
VOTIS  
DICARE, ET CONSECRARE,  
SIMVLQVE  
SE SVASQVE RES ILLIVS INDVLGENTIAE,  
ET PATROCINIO,  
SVMMA MENTIS VENERATIONE COMMENDARE  
VOLVIT

OBSEERVANTISSIMVS CLIENS  
CAROLVS SAMVEL BAER.



Q. D. B. V.

## PROOEMIVM.

Cogitantibus nobis de argomento ex mandato clementissimi Regis nostri disputando, visum est, quaedam ex articulo de scriptura sacra deligere & pro virium modo tractare. Res omnino maximi momenti est, certam & persuasam habere originem divinam eorum librorum, quibus tota religio nostra superstruxta & innixa est. Salus & vera felicitas hominum sola in eo consistit, ut Deum summum bonum rite agnoscant, eo fruantur, eumque in spiritu & veritate adorent, & colant, quod vero nullo alio modo iuste & legitime fieri potest quam eo, quem Deus ipse praescripsit: facta enim ad humanum arbitrium religio Deo probari non potest. Optime itaque meriti sunt de aliis, qui studiose ac diligenter originem divinam SS. litterarum & probare & vindicare ab obiectionibus sibi sumserunt \*). Quod negotium vero dupli ratione suscipi potest, ita ut vel argumenta fidem humanam facientia in probando ortu divino SS. litterarum pertractentur, vel ostendatur, quomodo per spiritum Dei eiusque operationes gratiosas homines

A

ortum

<sup>\*)</sup> Quorum pertinent AEGIDI<sup>U</sup> HVNNII tract. de divina scripturae  
sacrae maiestate & auctoritate. PETRI DANIEL. HVETII demon-  
stratio evangelica. JOH. FECHTII Diss. de mediis cognoscendi exi-  
stentiam & divinitatem scripturae sacrae. JO. MUSAEVS in intro-  
duct. in Theologiam: ut recentiores admodum multis taceamus.

ortum divinum scripturae sacrae certum habere possint. Quod si prius agitur, aliqua saltē certitudo, vel si mavis summa probabilitas ad certitudinem suo modo prope accedens, a priori enascitur; sin vero posterius, fluit inde cognitio & certitudo ortus divini SS. litterarum a posteriori. Nos autem nobis sumsimus, argumenta quaedam fidem humānam facientia in probanda origine divina SS. litterarum declarare, eorumque usum genuinum brevissime ostendere; hinc scriptio nostra verfatur circa probationem originis divinae SS. litterarum a priori. Multorum hominum a Deo alienorum maximus labor eo tendit, ut divinam originem litterarum sacrarum vel plane negent, vel saltim dubiam reddant, quae si iacet, etiam tota religio sacrī litteris superstructa, corrut necesse est. Eiusmodi hominibus hac nostra scriptione, qualiscunque sit, obviam ituri, & monstraturi sumus, argumenta, quibus eiusmodi homines ad autoritatem divinam scripturae sacrae subvertendam vtuntur, roboris nihil habere, sed ex parte potius ad illam stabiliendam aliquid conferre. Cum etiam sint & fuerint, qui argumenta fidem humanam facientia in probando divino ortu SS. litterarum plusquam decet negligant, & certitudinem de ortu divino harum litterarum experientia seu a posteriori obtinendam, tantum admittant, hanc unicam probationem semper & ubi vis sufficere statuentes, huius etiam erroris rationem habebimus. Quae cum ita sint, scriptum nostrum dividitur pro rei natura in partes duas. In priori enarramus argumenta quaedam fidem humanam facientia in probanda origine divina SS. litterarum, & in posteriori ostendimus verum & genuinum horum argumentorum usum. Faxit Deus Optimus Maximus, ut etiam hic conatus noster cedat in eius honorem atque gloriam, & in lectorum benevolorum utilitatem.

PARS

## P A R S I.

DE

ARGVMENTIS FIDEM HUMANAM FACIENTI-  
BVS IN PROBANDA DIVINA ORIGINE  
SS. LITTERARVM.

## §. I.

**C**um bonae methodi sit, stabilire definitiones, quibus positis fundamenti loco cum ambiguitas omnis tollatur, tum res ipsa melius expediatur, non abs re fore immo potius necessarium esse putamus, ut ante omnia enodemus quid intelligi velimus per fidem humanam, per argumenta fidem hanc facientia in probanda divina origine SS. litterarum, & per originem divinam scripturae sacrae. Fides stricte summa, est assensus propositioni cuidam ob testimonium alicuius datum, hinc requiruntur ad hanc fidem in aliis excitandam tantum testimonia. Saepissime vero haec vox significatu latiori adhibetur, ad assensum propter argumenta certa datum cuidam rei nondum extra omnis dubitationis aleam positae denotandum. Fides humana est cognitio ac convictio, quae aut testimonio mere humano aut alia quadam ratione probabili, aut utroque simul nititur, soliusque etiam naturae viribus comparatur, adeoque non semper simpliciter certa, sed interdum modo verisimilis est. Qua in re varios gradus locum habere posse facile appareat. Argumenta sunt rationes ex quibus cognoscitur cur aliquid sit vel accipiendum vel reiiciendum, hinc sunt argumenta fidem humanam facientia rationes, quarum usu legitimo cognosci potest sacras litteras suam originem a Deo ipso ducere. Origo vero SS. litterarum divina in eo ponitur, quod

A 2

Deus

#### 4 De recto & genuino non argumentorum fidem humanam

Deus non modo res ipsas, sed verba etiam litteris consignanda viris spiritu suo actis suggesserit: non sufficit, ut Dei permissione & virium naturalium donatione liber quidam sit exaratus, hoc enim respectu omnes libri mere humani appellandi essent divini, sed necesse est, ut scriptor libri divini a Deo ipso sit excitatus & vir vere *Geometrus*.

Vocabulum fides varie solet accipi vel de fide salvifica, vel de fide morali, vel de complexu veritatum divinarum, sed de his nobis non est sermo: nos potius in praesenti haric vocem tam late sumimus, ut in spho iam monitum est. Epitheton humana fides denotat, quod per fidem humanam intelligatur cognitio probabilis, quae ex argumentis a ratione deductis soloque usu rationis legitimo rite tractatis, nec non ex testimonio humano oritur.

#### §. II.

His praemunitis pergimus ad argumenta ipsa, quorum usu legitimo ortus divinus SS. litterarum nobis persuaderi potest; quaeque dividi solent commode in interna & externa. Interna sunt, quae ex ipsa indole atque natura totius scripturae sacrae desumuntur, ac proinde cum a forma illius externa, tum a materia & ipso arguento eiusdem, seu a rerum ipsiusque doctrinae sacrae affectionibus. Externa argumenta vero sunt, quae extra scripturam a rebus externis cum scriptura tamen coniunctis petuntur. In praesenti initium facimus ab argumentis internis & quidem a forma scripturae sacrae externa desumptis. Placet vero ex causis idoneis ipsa vocabula, sententias, & libros ex illis constantes, totumque orationis genus, formam scripturae externam; res vero ipsas oratione expressas ac signatas, materiam illius appellare; licet nos non fugiat, alios his vocabulis artis paullo aliter uti.

#### §. III.

In argumentis internis, a forma externa SS. litterarum petitis, primo numeranda videtur stili simplicitas in scriptura sacra

era obvii. Quae potissimum in eo consistit, ut verba & sententiae ad representationes commotionesque animi debitas excitandas aptissimae ac facillimae, rebusque praeterea ac personis convenientissimae sint adhibitae; ut quilibet homo ceteris paribus sive sit emunctae sive obesae naris, veritates maxime ad salutem ipsi scitu necessarias facile cognoscere possit. Per hanc simplicitatem ergo abest a stilo sacro studium in verborum phrasiumque elegantiis inveniendis & excogitandis adfectatum nimirum exquisitum, ex vana sibi aliisque placendi laudemque inanem consequendi cupiditate ortum. Pertinet ergo etiam eo, ut tautologiae & voces inanes in scriptis humanis saepissime vel de industria adhibitae, nec non subtilitates artificiales & nullius, ad summam rei quam scriptura agit, momenti, omnino absint. E contrario autem voces rebus describendis optime respondent & hominum modo representandi, nec non usui loquendi maximopere convenientiunt. Hinc Deus sapientissimus ad explicandas hominibus ideas universales & abstractas, affectionibus sensualibus, exemplis atque allegoriis usus est. Eiusmodi igitur coniunctionem sermonis vocumque visitarum & foecundarum in SS. litteris offendimus, ut animi hominum haec scripta legentium moveri, & ad finem exarationis horum librorum obtinendum felicissime perduci possint.

*Not. I.* Cum loquimur de stili simplicitate scripturae sacrae, cavendum est, ne hoc intelligatur de omnibus ac singulis sermonibus & locutionibus passim obviis. Referuntur enim & enarrantur saepissime sermones hominum vanorum & superbientium, quos referre Deo sapientissimo bene vixum est, at nobis est sermo de stilo sermonum, vel ipsius Dei vel virorum per instinctum spiritus sancti loquentium.

*Not. II.* Cavendum est, ne usus vocum abiectorum ac nimis vulgarium habeatur pro simplicitate stili. Eiusmodi simplicitatem falso ita dictam, ex sacris litteris exulare videmus.

6. *De recto & genuino usu argumentorum fidem humanam*

§. IV.

Alterum argumentum internum a forma externa scripturae sacrae desumendum, sistit maiestatem & gravitatem stili librorum divinorum, quae in eo ponitur, ut res gravissimi momenti, maxime illae, quae summum Numen eiusque relationem erga homines ipsi subiectos spectant, vocibus gravibus, nervosis & attentionem hominum eorumque admirationem excitantibus sint expressae. Ex quo fluit prono alveo, ut in verbis & sententiis talia, quae Deo altissimo dedecori esse, aut attributorum ipsis celebrationem imminuere gloriaeque eius obstatre possent, in litteris divinis non reperiantur. Quod si vero res vel per se obscenoenae vel propter verecundiam cum honoris praefatione tangendae, in libris divinis ob nexus cum aliis memoria dignis enarrandae sunt, maximo cum pudore & maxima cum cautione, atque vocibus maxime decentibus consignatae sunt, ut aurorem divinorum librorum sanctissimum prodant. Quae autem faciunt ad excitandum, ut honorem Deo summo debitum rite praestemus, ira aliis rebus sunt intermixta, ut tamen maiestas sanctissima, qua Deus super omnia eminet, & dominium absolutum in omnes res creatas plane non immunitatur, quamvis oratio mirum in modum ad ingenium hominum eorumque captum benigne simul sit accommodata. Maiestas stili, qua Deus usus est, ex eo etiam apparet, quod interdum res gravissimas maxiinique ponderis brevissimis verbis cum summi imperii significatione expressas hominibus iniunxit exequendas, & illo iure, quo reges huius mundi utuntur, pro autoritate summa voluntatem suam manifestavit sine ulteriori rationum moventium narratione. Huius rei testis est illa lex divina triplex Mosi data, de cuius partibus & praceptis singulis nullam cum daret, reddidit hominibus rationem. Hanc maiestatem stili biblici & gravitatem deprehendit vel ille ipse ethnicus DIONYSIUS LONGINVS, rhetor celebris, qui in libro

περι

*περι υψης sequentia verba latine translata de Mose ponit; Moses iudeorum legislator fuit vir non vulgaris, quandoquidem Numinis potentiam pro dignitate notam fecit declaravitque statim initio prooenii legum suarum scribens; dixit Deus; fiat lux! Et facta est. Fiat terra! & facta est. Huic testimonio hominis ethnici addimus verba ipsius apostoli Pauli qui i Cor. II, 4. *nec que oratio mea, inquit, neque praecnonium meum scilicet versatum est in persuasoriis humanae sapientiae verbis, sed in demonstratione spirituali atque potente.**

Quilibet caveat sibi, ne maiestatem stili librorum divinorum solo usu loquendi apud nos recepto & nostra linguae dictiōnibus metiat. Non eadem enim est ratio linguarum sanctarum & nostrarum, ut potius respectu stili toto in multis coelo differant. Quae apud orientales aut hodie adhuc aut olim pulchre & graviter expressa sunt, illa nobis nostro sensu longe alter saepe & minus nitida videntur. Ex quo apparet eum, qui sensus scripturae sacrae plenitudinem verborumque foecunditatem & vim, nec non stili maiestatem inspicere cupit, non solum verborum significations per se, sed etiam linguarum sanctarum idiotismos, quos vocant, familiares sibi reddere ac proinde ex fontibus judicare debere. Conferri de stilo Scripturae S. omnino meretur elegantissima R.O.B. BOYLEI Commentatio de stilo scripturae S.

### §. V.

Argumenta interna & quidem a materia ipsa scripturae sacrae desumpta, spectant veram conditionem & affectiones rerum quae illa continentur, verbisque signatae sunt. Primum argumentum huius generis petitur a veritate rerum sacra scriptura comprehensarum, ut quae in SS. litteris tractantur & enarrantur, ita se habeant ut docentur, non inter se pugnant, nec aliis rebus & veritatibus aliunde peritis repugnant. Quae in sacris litteris occurrent, commode dispesci possunt in facta, dogmata, & vaticinia, quorum veritas evincenda est. Quod ad facta in scriptura recensita attinet, sine magno labore horum veri-

8 *De recto & genuino usu argumentorum fidem humanaam*

veritas probata redditur. Quodsi internam rerum naturam consideramus appetet, res factas & enarratas in SS. litteris, vel facile fieri potuisse ac debuisse, vel saltem nihil absurdum aut quod plane impossibile fuerit in se continere. Historiarum sacrarum veritas eo etiam haud raro suffulcitur, quod historiae in SS. litteris enarratae conspirant, quod ad summa capita attinet, cum recensione scriptorum profanorum, qui historiam praesertim Iudeorum tetigerunt. Id etiam mirum quod Iudei ipsi Christo infensissimi quaedam de eius discipulis, miraculis, vita atque morte quamvis malo animo memoriae prodiderunt, & hoc modo veritati historiae N. Testam. vel insciis & inuiti consulerunt.

*Not. I.* Affirmavimus quidem in SS. litteris nullam dari contradictionem; id vero intelligi volumus de contradictionibus veris, non autem de opinatis; siquidem contradictiones opinatae non sunt contradictiones veri nominis. Eiusmodi contradictiones quas barbare licet vocant *apparentes*, multiplicantur & minuantur, prout id fert lectorum conditio ratione ingenii & voluntatis.

*Not. II.* In referendis historiis profanis scriptores sacri quidem breviores fuerunt, id tantum excerpentes quod cum aliis rebus notatu dignioribus cohaeret, quod vero ex fine quem scriptores sacri sibi habuerunt propositum, est diuidicandum; unde saepius res notabiliores tantum protulerunt in medium; contra quae minoris erant influxus vel nihil plane ad ipsorum faciebant institutum sapienter praetermisserunt.

§. VI.

Ad veritatem contentorum in SS. litteris pertinet etiam dogmatum expositorum veritas, quae sunt vel credenda vel agenda. Scriptura sacra profert doctrinas, quae non solum veritatibus ex ratione cognoscendis non contradicunt, sed quae etiam partim ex rationis lumine cognoscuntur, partim veritatibus iam cognitis maiorem affundunt lucem, ita ut doctrinae scriptu-

scripturae sacrae & rationis optime conspirent. Si vero scriptura sacra ad finem propositum consequendum sufficere debuit, eiusmodi etiam doctrinas illa contineri oportuit, quae ex lumine naturae, & rationis usu aut investigari primo & aperiri, aut patefactae etiam comprehendendi tamen nequeunt. De his autem observandum, quod hae doctrinæ quidem sicut supra rationem positae, sed tamen veris certis atque universalibus principiis fanae rationis non repugnant. Quod ad agenda attinet, quae scriptura exponit, illa quoque veritatibus fanae rationis non repugnant, ut potius principiis evidentissimis ex humanae naturae aliarumque rerum consideratione fluentibus confirmantur, ut rectissime Paulus pronuntiaverit, *legem Dei esse sanctam, iustam & bonam*, Rom. VII.

Ex eo nata est illa divitio articulorum fidei in mixtos & puros. Mixti quidem ex ratione etiam cognosci possunt, scilicet quod ad maximum partem, sed scripturae sacrae ope longe facilius, simplicius, & ad usum aptius discuntur. Articuli puri vero mysteria divina capti rationis humanae sibi relictæ plane superiora explanant.

### §. VII.

Vaticiniorum divinorum veritas paucis etiam tangenda ac vindicanda est. Vaticinia sunt praedictiones rerum futurarum, & quidem contingentium. Scriptura sacra referta est vaticiniis de futuris contingentibus, quae libera hominum Deique voluntate post multa saecula eventura erant. Quae nostro aeo dividi possunt in impleta, & adhuc implenda. In impletis numeratur e.g. vaticinium de gentis iudaicae servitute sub aegyptiorum regum imperio, eiusque liberatione Gen. XV, 13. 14.; de altero excidio urbis hiersolymitanæ Dan. IX, 16, & de rebus innumeris aliis, quas nemo mortalium sibi ipsi relictus, nec praenoscere, nec praedicere potuit. Ex impletione vero horum vaticiniorum impletio eorum, quae restant, iure quodam conficitur, suo tempore certissime quoque exspectanda.

B

§. VIII.

10 *De recto & genuino usu argumentorum fidem humanam*

§. VIII.

Secundum argumentum internum a materia scripturae sacrae petitum, sistit rerum in SS. litteris obviarum sanctitatem. Sententia nostra non est haec, ac si omnia, quae in SS. litteris exponuntur essent per se sancta, ut nil mali in se contineant; sed id volumus, facta, dogmata, vaticinia in illis exposita tendere ad celebrationem summi numinis, & ad vitam sanctam homineque dignam efficiendam esse aptissima. Haec duo itaque momenta constituent sanctitatem rerum in SS. litteris obviarum, primo, ut illis homo ad veram cognitionem & Dei cultum sincerum ducatur, & secundo, ut ad vitam erga se, & proximum sobrie & iuste traducendam impellatur. Hinc omnino res eiusmodi statum animi hominum efficientes, atque hominem ad Numen illud sanctissimum rite colendum ducentes, iure vocandae sunt sanctae.

§. IX.

Tertium argumentum quod materia scripturae sacrae exhibet, SS. litterarum complectitur sufficientiam ad finem, cuius obtainendi gratia hominibus datae sunt, i. e. ad veram & aeternam salutem. Quae tradit scriptura sacra, ea sufficiunt & valent ad id, ut Dei perfectiones hominibus notissimae fiant, quarum viva cognitione ad honorem ipsi tribuendum impelluntur. Plura enim quam ratio nobis exhibet, Deus ipse de essentia sua, attributis infinitis, & voluntate erga nos, atque imprimis etiam viam rectam, atque certam salutem aeternam impetrandi, quam alioqui plane nesciremus, distincte nobis manifestavit; ita ut insufficientia veritatum scitu necessiarum prorsus non possit evinci, contra vero experientia, & sensu interno probetur, hanc viam salutis divinitus commendatam terentes, ad possessionem verae salutis & beatitudinis pervenire. Via salutis liquido monstrata exponit, quomodo peccator cum Deo offendere possit in gratiam redire, quam doctrinam nullibi, quam in sacra scriptura explanatam deprehendimus.

§. X.

§. X.

Cum argumenta interna pro scripturae sacrae ortu divino hoc usque brevissime tetigerimus, sequitur, ut secundum divisionem argumentorum fidem humanam facientium in probanda origine divina §pho II. exhibitam, de argumentis externis quoque pauca differamus. Ab antiquitate SS. litterarum initium capimus. Quod argumentum non tam libros Novi Testamenti, quam praesertim libros Veteris Testamenti respicit, utpote qui non solum in numerum librorum antiquissimorum sunt referendi, sed ipsi sunt ex parte saltem antiquissimi, ut nullos habeamus libros hisce antiquiores: Triplex vero antiquitas ad libros sacros relata, venit in considerationem. Primo consideratur doctrinarum antiquitas, quas exponit scriptura sacra, de huius universi origine, de initiis temporum, de ecclesiae primordiis, de ortu peccati & id generis alia. Secundo perpendenda est antiquitas caussarum ministerialium. Quo respectu potissimum Moses scriptor ille antiquissimus commemorandus videtur, qui rerum exterarum historicos, philosophiae & liberarum artium doctores suorum librorum conscriptione longe antevertit, ita, ut pentateuchus prius iam existenterit, quam ullus alius liber, qui adhuc extet. Tertio etiam loco non est negligenda, saltem ex plurimorum sententia, antiquitas linguae. Notum est omnibus scripturam sacram Vet. Testament. lingua ebraica esse conscriptam, quae, ut vulgo putatur, antiquissima est, immo prima ac simplicissima.

Quae somniantur de libris Adami, Abrahami, fundamento omni probabili plane destituuntur, ut potius corruant necesse est, simulac rerum contentarum qualitas, linguae aliarumque circumstantiarum ratio penitus introspicitur. Firmissimo itaque talo innititur, quod saltem libri Mosis sint omnium antiquissimi.

§. XI.

Inter argumenta externa non minus numerari debet, con-

12 *Derecto & genuino iſu argumentorum fidem humānam*

ditio & qualitas eximia auctorum sacrae scripturæ, qui quasi amanuenses Dei habendi sunt. His viris divinitus afflatis, illae duae bonorum scriptorum virtutes notissimæ, rerum tradendarum scilicet scientia accurata, & amor veritatis sine affectuum partiumque studio sincerus, nulla probabili ratione denegari possunt. Res describendas potuerunt ita consignare, ut necesse erat, quoniam subsidia necessaria præerrim in historicis haberunt, quinimmo plurimarum rerum ipsi fuerunt *autores*. Voluntatem & veritatis amorem eo potissimum testati sunt, quod verbum divinum sine ulla personarum re pectus ratione habita, & praedicarunt, & scriperunt. Periculis enim imminentibus, & odio testimonium ingenuum certissime subsequenti minime deterreabantur, nec auro, nec aurea populari, nec vanæ gloriae inhabant; potius his omnibus propter Dëum spretis, & civium suorum, & sua etiam virtus ac fidei defectus ingenui fassi sunt, neque illa ullo modo silentio texerunt, aut dissimularunt. Id quod sane optimam de veritatis amore opinionem adfert.

§. XII.

Tertium argumentum externum sumitur a miraculorum conditione, quibus veritas rerum in scriptura confirmari debuit. Cum miracula sint opera merae divinae omnipotentiae, in viribus rerum creatarum legibusque mutationum, atque proinde natura rerum non fundata sunt, neque in illis habent rationem sufficientem. Ex quo apparet, neminem mortalium miracula stricte dicta vi propria efficere posse. Eiusmodi miracula, cum veritatibus divinis coniuncta fuisse, non solum in sacris litteris affirmatur, sed etiam vestigia rei in scriptis iudeorum & ethnorum supersunt. Veteris Testamenti libri satis luculenter perhibent, Deum legatis suis eorumque effatis miraculorum multitudine ac claritate fidem fecisse. Ipse salvator noster Iesus Christus eiusque apostoli divinam suam legationem, & rerum dicendarum

darum divinitatem miraculis evictam dederunt. Non opus est exempla proferre, quoniam SS. litterae miraculorum narratione referae sunt. Ipsi homines gentiles, & quidem magi coram Pharaone stantes, Mosis miracula patrari digito Dei secundum Exod. VII, 18.19. aperte fassi sunt.

Loquimur de miraculis stricte summis; interest enim inter mirabilia, & miracula. Mirabilia enim i. e. talia quae quia minus solita sunt, admirationem movent, & diaboli, & homines, ut fere quotidie videri est, efficere possunt, sed miracula sunt opera tantum omni potentiae divinae.

§. XIII.

Quatum argumentum ab externis petitum, comprehensit iudeorum & martyrum testimonium. Constat inter omnes, iudaicam ecclesiam usque ad hunc diem, libros Vet. Test. ipsum Deum habere autorem, uno consensu testari; id quod etiam iudei re ipsa confirmant, dum libros Vet. Test. pro norma actionum suarum habent, & veneratione fere superstitionis plena codicem Vet. Test tractant. Ecclesia iudaica prophetis, & respectu librorum novi foederis christiana, apostolis aequalis, hos sanctos Dei viros vidit eorumque scripta inspexit, & de origine divina horum librorum convicta, eos pro divinis agnovit. Martyrum testimonium non minus venit in censem, qui ortum divinum sacrarum litterarum non verbis tantum testati sunt, sed fusio etiam languine eundem confirmarunt.

Cum testimonium martyrum inter argumenta pro divina origine SS. litterarum militantia referimus, probe intelligatur necesse est, quis nomine martyris possit insigniri. Dantur enim multi martyres, qui vero non sunt genuinae indolis; hinc probe a genuinis discernendi. Martyres itaque veri nominis sunt, qui vita integri, scelerisque puri sunt, qui ob professionem veritatum divinarum satis cognitarum non modo iniurias & vexationes gravissimas, sed etiam vitae periculum eiusque amissionem forti & constanti animo subierunt. Observandum etiam, de martyribus pri-

mi aevi hic maxime esse sermonem, qui alia omnia ab ineunte aetate edocti, tam firmiter nihilominus scripturae doctrinam corruptae naturae minime blandientem suscepserunt animoque & vita expresserunt, ut potius vitam abiecerint quam illam, vitamque ex illius praescriptis actam; id quod praecipue ex Pauli exemplo luculenter appetat.

## §. XIV.

Quintum argumentum externum petitur a religionis christiana propagatione, tam felici, tamque subita, & ab admiranda inter tot eius temporis mala conservatione. Hanc propagationem religionis christiana, cum multae epistolas apostolorum ad varias gentes & urbes missae, tum libri historiarum ecclesiasticarum luculentissime notam faciunt. Christo in coelum evesto, apostoli in omnem terrarum orbem digressi, omni populorum generi verbum divinum annunciarunt, multaque hominum millia ipsius verbi divini efficacia mota, ad illius assensum mirifice perduxerunt. Notabile est exemplum Act. II, 42. descriptum, ubi narratur, una concione Petri ter mille homines ad Deum conversos esse, & altera concione Act. IV, 4. numerus credentium excrevit ad quinquies mille. Quamvis vero paullo post ethnici imperatores maximo odio erga Christianos inflammati, omnem moverent lapidem, ut Christianos ipsos extirparent, eorumque doctrinas proscripterent atque delerent, tamen doctrina christiana beneficio Dei clementissimi mansit salva, manebitque per omnia secula.

## §. XV.

Plura de his argumentis, & internis, & externis proferri possent; sed sufficiant quae exposuimus; hinc ad genuinum & rectum usum horum argumentorum parte I. tractatorum nos accingamus, quem parte II. demonstratum ituri sumus; si modo verbo antea monuerimus, argumenta haec nuper egregie, distinetate atque solide tactata atque explanata esse a Vener Ministerii Francofurtensis Seniore D. I. P. TRESENIO in narratione

*de*

*de conversione Naturalisae cuiusdam, lectu dignissima insertaque  
Collect. scriptorum pastoralium P. I. N. V. p. 247. seq.*

P A R S II.

DE

GENVINO, ET RECTO VSV ARGUMENTORVM,  
FIDEM HUMANAM FACIENTIVM, IN PROBANDA  
DIVINA ORIGINE SS. LITTERARVM.

§. XVI.

 **C**um nemini mortalium sola possessio rerum proficit, nisi iis recte ac prudenter uti sciat, ita quoque argumen-  
ta fidem humanam facientia in probando divino or-  
tu SS. litterarum, scire nihil attinet, nisi illis quoque  
recte uti sciamus. Quod nisi fiat facile accidit, ut non secus  
atque aliae res bonae, non suo, sed hominum vitio, haud raro  
magis obsint, quam profint ad veram salutem consequendam.  
Nos circa gravissimum hoc argumentum ita versabimur, vt  
1) illorum errorem redarguamus, qui his argumentis nimium  
tribuunt; 2) illos notemus, qui parum hac in re faciunt, 3) ve-  
rum illorum & genuinum usum distinctius doceamus ac probe-  
mus; 4) caussas ostendamus, cur plerumque his argumentis  
non plus efficiatur; crescente quippe in dies contentu sacra-  
rum litterarum doctrinaeque salutaris illis comprehensae.  
5) Denique usum horum argumentorum apud vere ac divina fi-  
de credentes, indicemus.

§. XVII.

Quod itaque ad *Primum* attinet, illorum scilicet vitium,  
qui nimium his argumentis confidunt, illud in eo ponitur, si  
quis cognitioni ac tractationi horum argumentorum per vires  
naturae ita confidit, ut qualicunque iis effecta fide bona que de  
S. litteris opinione contentus esse velit, eamque sufficere putet

ad

16 *De recto & genuino usu argumentorum fidem humanam*

ad necessariam convictionem ac salutem, non curata aut quaesita divina fide per supernaturalem spiritus Dei operationem efficienda. Id quod hodie sane multis contingit, qui in nuda horum argumentorum cognitione & tractatione ita consistunt atque unice haerent, ut longius progrederi non laborent, nec de divina fide sint solliciti; qua in re omnino aliquod impietatis mysterium saltem apud multos latere ex sequentibus apparebit. Monuimus iam §. I, usu horum argumentorum cognitionem eo modo ut opus est certam, non posse obtineri, ut scilicet oppositi formido plane evanescat, fiduciaque talis efficiatur, quae animum plane tranquillet, voluntatemque emendet, atque ad amorem veritatis debitum & obsequium flecat. Nimis enim iam corrupta est natura humana, quam ut remedia haec per se licet bona tantis vitiis ac morbis mederi queant. Satis luculenter igitur appetit, fidem salvificam nullo modo in sola cognitione horum argumentorum, efficiendaque per vim illorum naturalem persuasionem consistere posse.

§. XVIII.

Accedimus iam ad *Alterum* illorum scilicet vitium, qui argumenta haec ortum divinum scripturae sacrae probantia, aut prorsus contemnunt, aut usum illorum nimis extenuant. Licet enim fides divina veritatis divinae, per ipsam veritatem coniunctamque cum illa efficaciam supernaturalem, omnino etiam sine cognitione horum argumentorum distincta & accurata effici possit, prout innumeris exemplis constat; ex eo tamen neutiquam sequitur argumenta haec eorumque cognitionem negligendam esse. Quanquam enim fidem salutarem efficere per se nequeant, possunt tamen certum hominum genus ad eam praeparare, ut in sequentibus docebimus. Errant itaque, qui simpliciter & apud omnes fidem certam de ortu divino sacrae scripturae, sola remissione ad viam experientiae spiritualis ac supernataralis, efficiendam putant, spredo omnium horum argumento.

mentorum nullius usus esse. Illi igitur via ibunt tutissima, qui veri similitudinem a priori imperrandam coniungunt cum certitudine a posteriori, seu ex ipsa experientia divina consequenda. Convinci quidem nos ipsis possumus, imo debemus experientia veritatum divinarum de ortu divino SS. litterarum, sed quomodo alios eiusmodi experientiam adhuc negantes, convincere volumus, nisi decens praeparatio adhibeatur? Parum sane aut nihil hoc modo apud illos efficieretur, quibus experientia illa, illiusque capienda ratio adhuc suspecta esset. Est quoque aliud hominum genus, quod ex alia quidem ratione haec argumenta parvi aut nihili facit. Sunt enim, qui modo singula separatim & sigillatim considerant, ac quasi ponderant, videntes utrum hoc an illud sufficiat ad verisimilitudinem efficiendam. Animadvententes igitur, hoc, vel illud argumentum separatim positum, non sufficere ad illam rem, triumphant quasi, ac clamat omnibus hisce nihil plane effici, quod scripturam sacram aliis libris divinorem prober. Id itaque probe notandum, haec argumenta coniunctim esse sumenda, & tunc tantum habere roboris, quantum sufficit ad fidem humanam efficiendam.

### §. XIX.

Sequitur nunc *Tertium*, ut scilicet rectum & genuinum usum horum argumentorum ostendamus. Haec argumenta itaque generatim consideranda sunt tamquam praeparantia certum hominum genus, ad internam convictionem de ortu divino librorum divinorum a Deo ipso efficiendam eo facilius admittendam, removendo maxime impedimenta gravia apud illos, quae si manent operationem verbi Dei supernaturem irritam reddunt. Habent itaque usum paedagogicum, potissimum apud eorum animos, qui vel plane nihil de religione christiana norunt, vel gravibus dubitationibus vexantur.

### C

### §. XX.

## §. XX.

1) Itaque ad id his argumentis uti possumus ac debemus, ut per illorum propositionem & considerationem bona quasi opinio primo excitetur in animis, aut plane rudibus, aut contrariis opinionibus occupatis. Qua excitata maior eriam attentio excitatur & adhibebitur ad divinos libros. In nullam enim rem aut librum iniquiores sunt multi mortalium quam, in libros sacros, id quod partim ex eo fit, quoniam nullam attentionem ad illos adferunt, hinc huiusmodi homines sacriss litteris haud raro criminis dant & probrant, quod in aliis ferunt, excusant, immo saepe laudant. 2) Adhiberi porro debent haec argumenta ad impellendos homines ad seriam lectionem, tractationem ac meditationem librorum sacrorum. Cum enim divina illorum origo per ea admodum probabilis reddatur, omniaque iis comprehensa eo pertineant, ut homo veram aeternamque salutem consequatur, sequitur sane ex eo officium hominis tales libros serio tractandi ac meditandi, cum haec res ad ipsius veram felicitatem, stabilemque ac tutam animi tranquillitatem magnopere interfit. Qui vero haec, quae sane aequissima sunt, debito studio ac diligentia egerit, facile cognoscet, nihil iniquius esse, quam, quod a multis divinae veritatis hostibus fit, qui has, vel illas particulias ex SS. litteris arripiunt, separatim tractant ac nescio, quae absurdia sibi in illis animadvertere videntur, cum tamen, si, quatenus cohaerent cum aliis, spectentur, facile apparet, bonis idoneisque de causis, haec vel illa esse posita, quae per se considerata, leviora videri possent. Animadverteret etiam facile, qui rem gravem serio atque ex animo aget, omnes divinos libros eo spectare, ut homo sapiens efficiatur ad quaerendam consequendamque salutem, quae per fidem in Christum contingit, proinde causam, si sapit, non videbit, aut aegre ferendi multitudinem & varietatem eorum quae ad hanc rem pertinentia in SS. litteris occurrunt, aut conquerendi de paucitate vel brevi-

brevitate eorum, quae ad eam nihil pertinent, sed aliunde hauriri ac disci, & possunt, & debent. 3) Adhiberi debet persuasio de divinitate horum librorum, ex debita consideratione horum argumentorum oriens, ad cognoscendum officium adhibendumque omne studium agendi illa & praestandi, quae libri hi tamquam omnibus servanda praescribunt, fugiendique quae vetant, quae simul ita aperte sunt comparata, ut veritatis amans officiaque, non excaecata cupiditate, sed iudicio sano atque incorrupto metiens homo facile animadvertere possit, esse ea longe aequissima, nixa hominis erga Deum aliosque homines habitu, & quoque sua cum ipsius vera utilitate coniuncta. Ecquid enim v.g. aequius, atque iustius esse, aut cogitari potest, ipsa sana ratione iudice, quam lex de Deo plus quam omnes res creatas amando, reverendo, & quidem intimo animo toto que pectore; item, de amando vitae socio tamquam se ipso, & alia plura, quae fusius commemorare nihil atinet. Iure itaque postulari potest ab homine, ut quamprimum veritatem, aequitatemque eorum quae verbum Dei iure exigit, cognoverit, obsequi etiam, & id omni virium contentione agere labore, nullo inter cognitionem & actionem per nefariam fraudem intervallo interiecto, ac proinde illo, quod cognoscit & potest, fideliter utatur. Quod si vero animadverteret, ut sane attentus qui libet facile animadverteret, & voluntatem, & facultatem necessariam sibi decesse, officio Deo, sibi, aliisque debita ita praestandi, prouti lex divina & quidem iure suo iuber & exigit; si experietur evenire sibi quod Medea ait, ut videat quidem meliora, proberque, at deteriora sequatur; eo ipso simul videbit quam vera sint, quae verbum Dei de corrupto naturali hominis statu ac de necessitate supernaturalis auxilii divini tradit. 4) Ex quibus omnibus denique sequitur, hominem consideratione horum argumentorum eorumque, quae ipsi ipsa tractatione verbi Dei aperiuntur, eo adduci debere, ut Deum ipsum autorem

& fontem omnis boni imploret, ut auxilio suo subveniat, se ad veram ac salutarem sui cognitionem perducat, viresque largiantur, officia debita debitoque modo praestandi: Nemo sane etiam si nondum divina fide, scripturae sacrae divinam originem certam habeat, iure id recusare potest, cum ex iis, quae debito rationis usū cognosci possunt, necessitas huius officii fluat. Qui vero, ipso servatore id saepius inculcante, in minoribus ac paucioribus ipsis concreditis, quam potest adhuc fidem praefabat, illisque, quae habet, recte utetur, accedente sincera voluntate plura consequendi; illi plura tribuentur, accedente tum supernaturali spiritus sancti operatione, cuius auxilio per ipsum verbum Dei, tanquam instrumentum, divinitus ad eam rem destinatum, ad certam ac divinam fidem originis divinae scripturae sacrae, atque ipsam experientiam vivam ac salutarem veritatum divinarum perducetur. Qui vero hanc viam ingredi detestat, sua ipsis culpa dubius & anceps haeret, cum per ipsum steterit quo minus ab errore & dubitatione liberaretur.

## §. XXI.

Placet vero paragrapho superiori a nobis dicta, exemplis nonnullis admodum similibus illustrare ex ipsis SS litteris petitis. Primo loco in medium prodeant Samaritani ad Christum conversi, Ioh. III. Videamus ordinem & modum, quo homines illi, a Christo doctrinaque salutari S. litteris comprehensa valde alieni, ad fidem divinam ac certam Christi ac proinde etiam ipsius verbi Dei fuerint perducti. a) Venerat ad eos mulier sermonibus Domini & in primis occultorum patefactione commota, *videte hominem, inquiens, qui mibi omnia, quae feci, dixit, videte, an forte Christus sit?* quo facto ad eum egressi leguntur cives coram visuri & audituri hominem, quem mulieris sermo tanquam singularem plane ac legatum Dei eis descriperat. Bonam itaque opinionem ac spem his hominibus primum per narrata de Domino laudabilia ac singularia, & quidem iure allatam vide-

videmus. Ea vero non erant contenti, sed potius illa tamquam duce utentes excitari se patiebantur, ut ipsum videre, audire atque sermonibus ipsius frui cuperent; quod cum factum esset, usus ac consuetudo ipsius Christi sermonesque quibuscum vis supernaturalis coniuncta erat, divinam apud eos fidem in Christum ac verbum illius effecerunt, ita ut postea dicere potuerint: *credimus iam non amplius propter tuos sermones,* (solos scilicet ut in tuo tantum testimonio acquiescamus) *ipsi audivimus & cognovimus* (per ipsum vimque illius divinam, quam experti sumus, dicta attente audientes) *hunc esse Christum mundi servatorem.* En exemplum ad nostrum argumentum illustrandum apostolice aptum, ut breviter docebimus. a) Id quod magnifice de Domino narrata apud aequos homines & animum non de industria obfirmantes primo effecerunt, ut ipsum Dominum videre & audire gestirent, illud argumenta supra exposita apud aequos homines, & non consulto repugnantes efficere, & possunt, & debent, ut scilicet ipsas sacras litteras adeant, id est attente audiant, tractent, ac meditentur. b) Qui id fecerant ex Samaritanis, obedientesque se in iis praefiterant, quae non poterant non probare, ad fidem salutarem ac divinam per ipsos Domini sermones perducebantur; simili ratione ad fidem divinam veritatis verbi Dei perveniet per ipsam illius vim supernaturalem insitam, qui attente illud & cum obsequio illorum, quae aliunde iam pro veris ac rectis probat, tractabit ac meditabitur; quo tandem fiet, ut & ipse simili ratione dicere queat; non iam amplius credo propter haec argumenta solum, ut unice ac maxime in illorum naturali evidentiā acquiescam, aut acquiescere in ea sufficere purem, sed ipse divinam verbi huius vim expertus sum, ut omnis mihi de divinitate illius dubitatio praevisa sit. conf. similia i Reg. X. Io. I, 45. sqq. Simili ratione apostoli interdum (semper enim id ab iis aut factum esse, aut, ut fieret, necesse fuisse, probari nescit) apud ethnicos primis principiis Theologiae naturalis utebantur,

ad ethnicismi crassos errores convincendos, viamque evangelio, removendis impedimentis certis, parandam, ut cum debita attentione audiretur; a quibus id factum est, ii ad fidem divinam evangelii ipsa illius vi divina perducebantur, ut ex Cap. XIV. & XVII. Actorum cuivis facile appetet, ut plura addere opus non sit. Contentientes nobis Theologos hac in re plures laudare facile esset. Contenti vero erimus brevitatis caussa unico at notabili G. G. ZELTNERI testimonio in notis ad epp. M. RVARI p. 209. ita scribentis: *Veritas divinitasque scripturae sacrae ipsiusque adeo religionis christianaes, argumentis primum fidem humanam gignentibus internis externisque, demonstretur, atque hoc modo praeparatis contra temeraria iudicia animis de verbo Dei ad modestiam animis, spiritui S. verbo suo, doctrinae scripturae s. insita virtute supernaturali, fidem divinam facturo eiusque operacioni nobiliori relinquatur.* Haec methodus est inter preces, pro hismodi hominibus fusa, commodissima. His si non ubique & apud omnes peraeque respondeat eventus, contumaciae id hominum refractoriorum adscribendum, ac divinae providentiae & iustitiae etium vindici multa relinquenda sunt.

De notabilibus Christi rebus apud Samaritanos gestis conferri ac ponderari meretur, insignis disputatio D. PAVLI ANTONII Theologi Fridericianae quondam meritissimi de conversione Samaritanorum bonae frugis plena, observationibusque gravissimis reserta: nec minus egregia eiusdem Theologi iudicia ac monita de vero usu principiorum Thologiae naturalis, legi merentur in tractatione exegistica cap. XIV. & XVII. Actorum. Quae moneantur hic e re visum est, quoniam cum nostro arguento sunt coniuncta, simulque etiam temporum & ecclesiae statui convenientia, atque ita comparata, ut ii quorum interest, veram ex iis sobrietatem viamque regiam ac medium discere queant, quam teneare oportet, qui in alterutram partem labi nolit. Facile enim hic, iliacos intra muros peccatur & extra. Non possumus etiam, quin subiiciamus adhuc de necessaria coniunctione cognitionis & actionis in negotio hoc, verba Theologi cuiusdam eximii verissima

ac

ac plane notanda; ita vero ille; *Qui post prima stamina cognitionis & institutionis naturalis, detrectat cognoscere Deum per viam fidei & gratiae, is non serio & graviter hanc causam tractat, & meretur in vanum currere; hinc etiam omne studium, quod homines videntur adhibere ad cognoscendum Deum per viam rationationis merari, est vel animi irrequieti aestuatio conantis Deo imponere, vel etiam sperantis Deum invenire non dissimilem sibi, vel studium intricandi & obscurandi illa quae recte & cum lumen obsequio attententi manifesta sunt; vel etiam occupatio ingenii curiosa, dum interim non vacat mediis maxime necessariis & salutaribus.* WEISMANNVS inst. Theol. exegetico-dogmat. p. 189. quam vera haec sint, ex sequentibus apparebit, ubi rem quoque notabili exemplo illustrabimus.

### §. XXII.

Accedimus nunc ad *Quartum* disputationis nostrae de vero argumentorum fidem humanam originis divinae S. litterarum facientium usu caput §. XVI. expositum, investigaturi scilicet & patefacturi veras ac principes causas, cur plerumque apud plurimos contemtores ac dubitantes non plus his argumentis efficiatur; crescente quippe in dies S. litterarum contemtu, doctrinaeque salutaris illis comprehensae. Causas vero rei adeo funestae sitas esse contendimus, cum in multis ex eorum numero, qui argumenta haec in aliorum gratiam, vel voce, vel scriptis tractant & explicant, tum in iis, qui illa aut legunt aut audiunt, quibusque hoc modo succurri & consuli debet. Non adeo multum apud multos his argumentis effici in aperto est. Quod effatum nostrum ne quis per invidiam & obtreestationem calumniatur, probe observari volumus, nos minime affirmare nihil plane illis effici. Exstant enim omnino exempla illorum Dei beneficio licet pauciora, qui his argumentis ad attentionem praeparati, aequissimisque praecepsiti obsecuti virtute Dei supernaturali ad fidem salutarem ac divinam veritatis revelatae sunt perdusti; inter quae admodum notabile illud est quod supra iam laudavimus

24 *De recto & genuino iſu argumentorum fidem humānam*

mus a Vener. D. FRESENIO Part. I. *scriptorum pastoralium* enarratum. Exstant etiam exempla illorum, qui horum argumentorum vi ac perspicuitate eo perducuntur, ut aliquam S. litteris reverentiam habeant, nec aperti hostes & contemtores illarum evadant; licet in hoc consistant, supernaturalemque illarum vim ad fidem divinam ac salutem non suscipiant & experiantur. Caussas itaque huius rei ex parte in multis eorum ponimus, qui haec argumenta aut voce, aut scriptis, in aliorum gratiam tractant, quorum nostra ac superior actas ingentem preventum tulit. Ut enim in praesenti taceamus, non aequae solide, perspicue atque ad fidem aliis faciendam apte omnes in hoc negotio versari; aliae adhuc graves restant caussae, cur labor multorum hac in re non efficiat, quod si cetera essent paria efficere posset ac deberet, eoque minus nobis negligendae, quo magis negliguntur a plurimis. *Primo* enim nonnulli in nuda explicatione horum argumentorum consistunt, nec iis utuntur ad id, ad quod uti deberent; ex quo fit, ut multi lectors & auditores pariter non longius progreedi cogitent, quam duces illorum; contenti scilicet persuasione aliqua bonaque opinione de scriptura S., minime vero illa utentes ad ea agenda, quibus ad divinam fidem perduci possent. *Secundo*; multum omnino ad persuadendum aliis his argumentis interest, illos ipsoſ, qui persuadere volunt, fidem etiam divinam ortus divini S. litterarum habere, verosque illius fructus efficaciaeque verbi Dei supernaturalis ferre atque ostendere. Sicuti enim in medicina sanandisque aegris corporibus non sufficit, bona suaque natura efficacia ad depellendum morbum remedia cognita habere, sed multum quoque interest ad sanationem per illa, medicum quoque qui ea adhibeat, & prudentem & fidum esse, quo ea recte adhibere & possit & velit; ita in animorum sanatione non minus interest, illos qui aliis medicinam cum fructu ac successu facere volunt, recte esse comparatos, ac proinde non solum praesidiis huma-

humanis ac naturalibus, sed etiam divinis ac supernaturalibus instructos, quo in tanto negotio recte versari, & possint, & ve-  
lint. Qui vero ipse ψυχης tantum est & spiritus expers (ψυ-  
χης vero ex Pauli sententia quilibet est, qui Spiritum Dei non  
in se habitantem ac dominantem habet, licet scientia rerum di-  
vinarum naturae viribus comparata sit instructus) primo nec de-  
bito ac vero amore Christi & hominum ducitur, nec veram a-  
liorum salutem ex animo & vere sibi habet propositam, sed sibi  
& commodis suis maxime & cum detimento caussae Dei & ho-  
minum servit; ex quo fieri necesse est, ut multa fugienda ab  
eo fiant, contra multa facienda praetermitrantur: in quibus ta-  
men multum momenti est, aut ad consequendum aut impedien-  
dum salutarem effectum, prout recte vel secus quis in iis versa-  
tur. Ut taceamus in omnibus his saepe gubernationem divi-  
nam singularem, auxilium praeterea ac benedictionem divinam  
esse necessariam piis precibus impetrandam; ad quas cum ho-  
mo vera fide ipse non praeditus, veritatique divinae ac spiritus  
sancti pulsibus ac voluntati non cedens & obtemperans ineptus  
sit, facile apparet, quam multa hoc ipso impedimenta obici-  
antur, quo minus salutaris effectus ex remedii per se bonis  
consequi possit. Denique parum ille plerumque efficiet apud  
errantes, qui veritatem quidem verbis commendat & extollit,  
re vero ipsa, animo scilicet ac vita illam conculcat. Facile enim  
illis, quibus commendare vult, suspicionem adferet, ipsum non  
ex animo credere, quod aliis persuadere vult, aut actionem eo-  
rum valde necessariam non putare, quae quidem facienda praescribit, at ipse non facit. Ex quo facile est ad intelligendum,  
tali docentium statu, homines huiusmodi ad debitam attentio-  
nem excitari non posse, qua tamen quam maxime opus est, si  
ipsa veritas vim suam in animis exsferere debeat. Contra vero  
fides divina & obsequium veritatis verum ac spiritus sancti vir-  
tute effectum, fructibusque spiritus se ostendens efficere potest,  
ut primo apud homines bona opinio de bonitate & veritate do-

26 *De recto & genuino usu argumentorum fidem humanam*

Etrinae sacrae excitetur vel augeatur, quando apud illos, qui profitentur, bonos ac dignos fructus vident; qua re via ad maiora paratur. Idem plane Deus populo iudaico olim iam proponi, verbumque suum obsequio exteris & alienis commendari voluit; ita enim legimus Deut. IV, 6. *Tenete igitur & facite.* *Id enim (cognitio scilicet verbi mei & actio) erit sapientia vestra & intelligentia,* (i. e. laudem sapientiae & intelligentiae vobis adferet) *in oculis populorum qui audient constitutiones has, & dicent;* *tantum populus sapiens & intelligens gens haec magna est.* Ita scilicet verbum Dei in animo primo spiritus s. opera insitum & conceptum ornat hominem, deinde vero ab illo fructibus bonis ornari vult & commendari. Conf. etiam Rom. II, 17-24. Tit. II, 1-10. 1 Tim. IV, 12-16. 1 Petr. III, 1, 2.

§. XXIII.

Accedunt etiam caussae, cur parum apud multos his argumentis efficiatur, in illis ipsis positae, quibus argumentorum horum explicatione consuli debet. Proferemus autem potiora. Primo itaque apud haud paucos voluntarius stupor, summa carnalis securitas, dissolutioque ac remissio animi in omni cura animae aeternorumque cogitatione est in culpa, quo minus ad attentionem aliquam excitari queant. Vivunt & agunt, quasi sibi ipsi tantum vel huic vitae negotiisque illius vivere oportet. Deum fingunt & iudicant ex se; ex quo fit, ut quemadmodum ipsi Deum, divinaque non curant, ita quoque a Deo se & humana non curari autumant: sic re vera, ut barbari in diem vivunt, atque nec verbum Dei ipsum, nec praeparantia ad illius usum consideratione aliqua dignantur. Deinde apud multos in culpa est voluntaria animi obstinatio propositumque, vim argumentorum talium apud se comprimendi, illamque variis rationibus undique conquitis elevandi & oppugnandi, nullam aliam, si res ex vero aestimetur, ob caussam, quam quia doctrinas revelatas oderunt; quo voluntatis vitio fit, ut omnia respulant & indignentur, quae illarum veritatem vel aliquo modo persua-

persuadere possent. Quis enim ignorat vim depravatae voluntatis in intellectum humanum, qua efficitur, ut intellectus illa a quibus voluntas abhorret, non debita attentione perpendat, contra vero innumera & haud raro pluma & spuma leviora excogitet, quae veritati opponat, ne iniuria illam aspernari videatur. Accedit apud nonnullos pessimo saeculi errore, ut tum demum ultra vulgus mortalium sapere, acutique & emunctae naris homines sibi esse videantur, si iugum veterum praceptorum opinionum (in quarum numero doctrinas etiam divinitus patefactas habent, mysteria in primis humano ingenio incomprehensibilia) fidenter & cum supercilio excusserint. Accidit ergo re vera huiusmodi hominibus quod Paulus pronuntiat 2 Thess. II, 10. ut gravissimis erroribus constringantur, levissimisque rationibus veritati divinae contrarii capiantur atque excaecentur, quoniam amorem veritatis ingenuum suscipere noluerunt. Porro sunt etiam alii & quidem haud pauci, apud quos argumentis his praeparantibus adeo nihil efficitur, ut potius omnia rideant & contemnant, nullam plane aliam ob caussam, quam quia veritas S. litteris comprehensa cupiditatibus illorum pravis repugnat, quibus tamen servire & indulgere ipsis certum, ac proinde etiam propositum est nihil audire & considerare, quod vel eminus cupiditati obesse videtur. Huiusmodi homines res divinas hanc ob caussam maxime consideratione dignas non putantes, Petrus iam notavit de irrisoribus novissimorum temporum adfirmans, eos ideo irridere &, quae ad intelligendum facilia sint, intelligere non posse, quia cupiditatibus servire constitutum habeant (2 Epist. III, 2. f. q. coll. Io. III, 19. 20.). Denique apud multos nihil efficitur, quod, ne in iis quidem rebus S. litterarum praceptoris obtemperare volunt, quas tamen per se probare ipsis pro rectis & faciendis coguntur. Ex quo apparent rem feriam ab huiusmodi hominibus non agi ferio, nullamque debitam in iis sollicitudinem inesse in veritatis cognitione progrediendi. Notabile eius rei exemplum nobis succurrit, quod

28 *De recto & genuino usu argumentorum fidem humanam*

verbis Vener. PRAESIDIS proferemus in praefatione ad vitam *Lutberi Herrnschmidianam* §. L.LI. p. 66, ita vero ibi legimus; commodum in praeſenti ſuccurrit, quod nobis de meritiſſimo quodam Theologo iamque aevum in beatissimo animorum concilio apud Christum agenti certis auctoribus, qui ex ipſo optimo viro adiverunt, innotuit. Provocavit illum aliquando inſigni confiden- tia homo Atheus illuſtri loco natus, religionis omnis contemtor, ad certamen, quod ille minime detrectans duo tantum ſibi pactus eſt; unum, ut quae inter ipſos in diſputando expenſis, collatisque ratio- nibus conuentura eſſent pro certis poſta ac probata, litteris conſi- gnarentur, ne forte ſui in diſputando obliiſti atque adeo ab iisdem ſemper initiiſ proficiſc coacti ad nullius rei exitum pervenirent; alterum, ut fidem daret ſibi que recipere, ſe peccata quaecunque & crinina, quae idoneis argumentis convecerentur, non amplius in ſe admiſſurum, contra vero illis operam daturum, quae bona ac recta probarentur. Hoc auditio diſputator ille qui provocauerat, primam quidem conditionem ſe accepturum respondit, ad alteram vero deſcendere ſe poſſe negavit. Qua bominis confeſſione Theolo- gus ille uſus oſtentis ipſi, rem maxime ſeriam, minime ſerio neque ex animo ab illo agi veritatemque non admitti, non, quo nimis ob- ſcura aut intellectu diſſicilis ſed, quia ingrata & inviſa ſit. Pro- fecto ſi alii huius generis homines, qui infauſto conſilio ſales fuos in irridenda religione conſumunt, complicatam notionem animi ſui evolvere vellent, idem ipſis uſu venturum certo nobis per- uafum habemus.

§. XXIV.

Reſtat *Quintum* breviter adhuc, cum diſſicultatem non ha- beat, expediendum, ut ſcilicet uſum horum argumentorum etiam apud illos oſtendamus qui diuinitus diuinam S. litterarum originem periuafam habent. Poſſent quidem talia his videri, nulli uſui eſſe: ſicut enim lucernae lumen foliis lumine ita ob- ruitur & obſcuratur, ut in hoc ambulantibus illo opus non ſit, ita quoque in lumine diuino ortum S. litterarum diuinum cer- nenti-

nentibus atque experientibus, opus esse non videtur, lumen illud tenuius adhibere atque ad id videre velle. Verum enim vero licet libenter ipsi concedamus, id non simpliciter, nec omnibus esse necessarium, ex eo tamen non consequitur, nulli plane usui id esse posse. Primo enim voluptatem certe adfert & quidem merito divinam fidem habentibus, si vident verbum Dei eiusmodi vestigiis ortus sui divini a Deo esse signatum, quae etiam nondum divinitus persuasis, venerationem tamen aliquam illius bonamque opinionem ad ferre possunt. Quemadmodum itaque vestigia providentiae divinae aliis in rebus notant ac venerantur, atque ex iis & ipsi fructum capiunt & Deo ferunt, ita quoque hac in re id faciunt, id quod nunquam bono apud illos fructu caret. Deinde fides divina retro quasi valet, usque suo ac lumine in cognitionem & considerationem horum argumentorum funditur, ut in supernaturali lumine etiam quasi colloata & visa conferant aliquid ad firmatatem animi augendam. Sicuti itaque illum iuvat ac delectat, qui rem bonam & utilem in tenuiori lucernae lumine primo visam & aliquo modo cognitam, deinde in solis lumine multo clarius ac melius videt ac cognoscit; ita quoque iuvat illum, qui argumentorum horum vim primo in naturae lumine tantum visam, postea in divino gratiae lumine longe melius perspicit. Denique incident etiam interdum tempora, quibus sensus luminis divini obscuratur & subirrahitur credentibus, ut sibi in tenebris pristinas recidisse videantur; ex quo fit ut dubium illorum animis fiat, quod antea certum plane habebant. In huiusmodi statu regredi omnino licet imo prodeat interdum ad argumentorum horum considerationem, quae cum usu reliquorum remediiorum divinitus praescriptorum coniuncta, prodesse idque id in primis praestare potest, ut animus per eam subinde extimulerit ad magis indefessum ac perpetuum remediiorum modo taetorum usum, donec sensus divini lumen, dispulsisque dubitationum nebulis sol quasi redeat.

§. XXV.

Haec sunt quae in praesenti de hoc argomento commentari voluimus ac potuimus: Deo interim optimo maximo gratias, quas possumus, maximas pro auxilio nobis praefrito benignaque virum largitione, ad scriptum hoc exarandum, agimus, cum voto, ut aliquid saltim ex ea re, cum in nosmet ipsis, tum in alias redundet commodum.

F I N I S.

\* \* \* \* \*

ORNATISSIMO DISPVHTATIONIS  
AVCTORI AC DEFENSORI

S. D.

P R A E S E S.

*Quod ad tractandum disputandumque delegisti argumentum, ORNATISSIME BAER, ex illorum numero fuit, quae TIBI a me rogatu TVO demonstrata sunt. Caussas vero huius consilii mei hic indicare aut explicare eo minus necesse est, cum & faciles iis sint ad perspicuum qui oculos apertos atque in statum temporum nostrorum intentos habent, & in ipsa quoque disputatione TVA non intactae manserint. Utinam discenter aliquando homines in ecclesia bona per se ac recta, quorum scientiam habent, expoliunt & tradunt, ad verum & debitum usum referre, idque ex animo agere, ut non tam iactatores illorum quam actores sinceri amatores esque fierent. Quod vero ad ipsum scriptum TVVM attinet, in priori illius parte, qua argumenta ipsa fidem humanam efficientia explicantur, pauca admodum a me sunt mutata, singulis plerumque modo verbis ac sententiis aut postis aut inductis; In altera vero parte, quae usum illorum exponit, paulo plura fatoe mihi & mutare & supplere consultum visum est. Ad TE ipsum iam convertor, ORNATISSIME BAER, cum habeam quae de TE & TIBI breviter dicam. De TE igitur hoc aliis affirmare possum, cognitum TE mihi fuisse per omne commemorationis TVAE academicae tempus, tamquam auditorem industrium, modestum morumque probitate conspicuum. TIBI vero pro mea in TE benevolentia, quid & optem TVA causa, & sperem breviter adhuc dicendum habeo. Opto itaque, adhortans simul ad id quod opto, ut ipse fideliter id agas, quod in disputatione TVA praecepisti, ac proinde omni studio in id incumbas, ut divina apud TE rerum divinarum fides ante omnia efficiatur, atque sic etiam apud alios aliquando cum fructu urgeatur. Spem vero de TE concepi fore, ut monitorum eo pertinentium memor vivas, ecclesiaeque aliquando vere utilem operam praestes; quam quo melius implebis aut superabis, eo maius quoque in TE ipsum redundabit emolumentum. Dab. in Fridericiana VI. Calend. Octob. MDCCCLVII.*

Most-

\* \* \*

Most-Honoured Sir,  
Most-Beloved Friend!

Tis always laudable to acquire some Merit by usefull and such Writings, which have a great Influence upon Religion, and make it easy as well as agreeable. You have given, *Dear Friend*, to the learned World by this Essay of Yours a plain Proof of Your deep Insight, and of that praise-worthy Industry in Treating of an usefull and not ordinary subjet. You have shewn thereby, that Your chiefeſt Purpose is, to spread abroad the Glory of God. I congratulate You upon so praise-worthy an Endeavour, and am overjoy'd, that I can boast of being an ancient Friend of Yours. I flatter my ſelf to persuade thereby many others, that I have profited by Your Knowledge. Pray, *Most-Honoured Sir*, allow unto me this delightfull Idea and believe, that I shall rejoice ſo much the more, the longer You will vouchſafe unto me Your Friendsʃip. Your Kindness, ſolid Knowledge, Ingenuity, ſkill, and others excellent Qualities of Your Mind shall further be, as they have hitherto been, a Pattern of my Imitation. I acquaint You publicly and moſt heartily by theſe few Lines with my Thanks for Your conſtant Friendship, and that it is what I deſire to be favoured with in the future; tho' the Evidence of it cannot be performed personally in my Absence. Adieu, *Dear Friend*, our Lord may moſt graciously bleſs all Your Actions, and Your pious and moſt uſefull Undertakings; Farewell and believe ſurely, that I am with all Reſpect, Love and Tenderness during all my Life

Dear Friend

*Your moſt-humble Servant and moſt-devoted Friend,*

Paul Christian Lenz,

Student in Divinity

natif of Oldenborough, Opponent.

at Hall in Saxony September  
th. 27. 1757.

Nur den, welcher geſchäftig nach grünendem Lorbeere geizet,  
Mit welchem der Götter Hand die Stirne des Jünglings umwindet;  
Dessen empfindbare Brust, die kein Glanz des Pöbels mehr reizet;  
Der Weisheit mächtiger Strahl zum höherem Hange entzündet;  
Wenn, ganz Gefüll, ganz zum Ohr umgebildt, er gedankenvoll höret,  
Wie von ihren göttlichen Lehren ihr heiliger Tempel erschallt,

E

Wie

\* \* \*

Wie sie das Dunkel zum Tage umschafft, und Empfindungen lehret,  
 Dass Klarheit den Geist und der Zugend Gefüll die Aderen durchwallt;  
 Nur den kennt die Weisheit als Sohn und schmückt ihn mit Würde,  
 Die, gleich Diademen von fürstlicher Stirne, sein Leben umstrahlt,  
 Sieht seine löblichen Werke und führt ihn zur göttlichen Zierde  
 In ihren Tempel, wo Lorbeer und Ruhm seinen Eifer bezahlt.  
 Und führt sie Ihn, den Treuesten ihrer Sie liebenden Söhne,  
 Ihn, den Freund, führt sie Ihn jezzo nicht auch in ihr Heiligthum hin?  
 Mütterlich rief sie: Komm, o Baer, komm! kämpfe in herrlicher Scene  
 Zum Ruhm, Sohn! für Dich und der Mutter, und stürze den Thun dahin.

Also sprach sie: Und, Freund, wie willig folgst Du der Lehre?  
 Schon siehet mein Blit Dich gekrönt und Deinen erfochtenen Sieg.  
 Theilt Deine Freundschaft nicht mir mit diese siegprangende Ehre?  
 O Tag seimir heilig! Und, o Freund, liebst Du nicht ferner auch mich?

Halle, den 27 Sept.  
 1757.

Theodor Ludewig Matthiizon,  
 der G. G. Bestissener, aus dem Magdeburg.  
 Opponens.


## CARISSIMO FRATRI

S. P. D.

IOANNES GOTTHILFF BAER,

S. S. THEOL. STUDIOS.

**E**n litteras brevissimas, *Carissime Frater* amoris vero affectus plenas. Mea perdoleo fata, quod variis apparuerint obstacula, quo minus huic certamini eruditio interesse, Teque Tuas scriptionis defensorem ipse experiri possim: eo magis non possum non absens hisce litteris animi mei laetitiam amorisque affectum publice Tibi designare. Mirum in modum laetor & ex animo gratulor de cognitionis Tuas Theologicae specimine coequre testante de tempore Tu academico non inutiliter peracto. Nihil magis in votis habeo, quam ut Deus indulgentissimus studiis Tuis impostorum sit propitius, Tibique omnia fausta & prospera esse iubeat, vt, curriculo academico feliciter finito, ex conaminibus Tuis in veritatibus divinis discendis iisque applicandis, tam in civitatem Dei, quam in Te ipsum fructus redundant salutares. Fave impostorum mihi, vale & rem Tuam age feliciter. Dab. Kerbelitzae prope Magdeburgum d. XX. Sept. MDCCCLVII.



00 A 6359

ULB Halle  
002 916 746

3



DRH

Retro



24

DISPVATI<sup>O</sup> THEOLOGICA  
DE

RECTO ET GENVINO VSV  
ARGVMENTORVM FIDEM HV-  
MANAM FACIENTIVM IN PRO-  
BANDA DIVINA ORIGINE  
S. LITTERARVM.

QVAM  
PRAESIDE  
VIRO SVMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO,  
DOCTISSIMO  
IOANNE GEORGIO KNAPP  
THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. ORDIN.  
PATRONO SVO AC PRAECEPTORE  
PIE COLENDO,  
IN REGIA FRIDERICIANA  
D. I. OCTOB. MDCCCLVII.  
ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET  
AVCTOR  
CAROLVS SAMVEL BAER  
KERBELITZA-MAGDEBURGICVS.



HALAE MAGDEBURGICAE  
LITTERIS HENDELIANIS.